



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

30. An confessio reservatorum invalida, si facta sit Confessario habenti tantum facultatem delegatam, tollat etiam reservationem? Et an hoc omnino certum sit, quando peccatum est reservatum ob ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

## RESOL. XXVIII.

*An penitens, qui à Superiore fuit absolutus à peccatis reservatis, teneatur postea ista cum aliis Sacerdoti inferiori confiteri? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 74.*

Sup. hoc inf. in tr. 7. Resol. 125. signa. et in hoc. §. 2. ver. imo licet.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Homobonus in *exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 4. q. 2. 5.* qui citat Henriquez, Suarez, & Coninch: vni enim Confessario pendenda sunt omnia peccata.

2. Verum non reticebo contrariam sententiam doctore Ioan. de la Cruz Dominicanum in *direct. confitent. part. 2. de sacram. Penit. q. 3. dub. 5. concl. 3.* vbi sic asserit. Etsi Superior possit audire integram confessionem, & ad id teneatur, si non est occupatus, si tamen nolit, & solum absoluat à reservatis, valet sacramentum. Et licet penitens tunc maneat absolutus ab omnibus peccatis, à reservatis directe, & indirecte à non reservatis, cum gratia data in illo Sacramento æquè excludat omnia peccata, tamen si vult sumere Eucharistiam, teneatur confiteri alia peccata non reservata alteri Confessori: non tamen isti confitenda peccata reservata Superiori confessa, cum iam sint subiecta clauibus Ecclesie, & directe absoluta. Ita ille qui citat Maiorem, & Gesonem; sed tu primam sententiam tene, licet vtramque probabilior esse doceat Ledesma in *summa, tom. 1. de sacram. Penit. cap. 20. conclus. 3. dub. 4. fol. mibi 334.*

## RESOL. XXIX.

*An si quis confessus est omnia peccata reservata legitimo Superiori inualide tamen, vel ex defectu doloris, vel ex integritate, teneatur postea cum legitimo Superiore confiteri, vel sufficiat cum quocumque Confessario approbato?*

*Et an hoc procedat etiam in dictis peccatis confessis tempore Iubilæi?*

*Et an, quando quis confitetur bona fide in aliquo die septimanae Iubilæi casus reservatos, & postea non adimplet alia opera præcepta in Iubilæo, peccata illa manent reservata?*

*Et quid est dicendum de peccatis reservatis oblitis in illa confessione, an possint postea confiteri non habenti potestatem in reservata, etiam si Iubilæum non lucratus fuerit? Ex part. 4. tract. 4. & Miscell. Resol. 124.*

Alibi sup. in tr. 3. Resol. 50. §. Notandum est tamen & lege doctrina Resol. seq.

§. 1. **A**libi probabiliter docui, illa peccata non manere amplius reservata, & posse à quocumque Confessario approbato absolui; scio alicui displicuisse hanc sententiam, immeritò tamen, & ideo illam iterum doceo, & præter Doctores alibi à me citatos tenet nouissimè hanc sententiam è Societate Iesu Ludouicus Merantius in *D. Thom. tom. 3. tract. de penit. disp. 30. sect. 3. num. 1* Præpositus in *3. part. D. Thom. quest. 9. de reservatione casuum conscientie, dub. 4. num. 24.* & ante illos Petrus de Ochagauia de *Sacram. tract. 12. de Confessione sacramentali quest. 22. num. 8.* vbi sic ait: Si quis expressè confiteatur omnes casus reservatos Sacerdoti habenti ad id iurisdictionem, vel concessam in gratiam sui, vel in gratiam penitentis, satisfacit omnino reservationi, etiam si confessio ex alio capite nulla reddatur. Vnde talia peccata potest postea cuilibet Confessario confiteri. Patet, quia reservatio ad id ordinatur, vt penitens deferat peccata proprio Sacerdoti, & eius sententiam audiat, & penitentiam impositam acceptet;

sed hoc totum contingit, cum confessio ex aliquo capite reddatur nulla, vt supponimus; ergo tollitur omnino reservatio, & hæc conclusio etiam est vera, cum absolutio datur ratione potestatis delegatæ, quia satisficit fini reservationis. Ita ille qui tamen *num. 11.* obferat hanc doctrinam non esse veram, quando quis inualide confitetur peccata tempore Iubilæi, nam tunc nullo modo tollitur reservatio, quia tunc absolutio à peccatis reservatis conceditur per modum favoris, & cum ordine ad iustificationem animarum, vt media absolute à reservatis excidentur fideles ad quærendam salutem animæ, ergo intelligitur talis facultas absolventi à reservatis concedi cum hac conditione, vt penitens expiet animam à peccatis, & verè confiteatur vera ac salutari confessione.

2. Nota etiam hic obiter cum dicto Ochagauia, & cum aliis Doctoribus, quos alibi citavi, quando quis confitetur bona fide in aliquo die septimanae casus reservatos, & postea non adimplet alia opera præcepta in Iubilæo, peccata illa non manere reservata; sed quid dicendum de peccatis reservatis oblitis in illa confessione, an possint postea confiteri non habenti potestatem in reservata, etiam si Iubilæum non lucratus fuerit? Negatiue respondet Præpos. *vbi supra num. 30.* licet pro contraria sententia citet Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 31. sect. 4. num. 24.*

## RESOL. XXX.

*An confessio reservatorum inualida, si facta est Confessario habenti tantum facultatem delegatam tollat etiam reservationem?*

*Et an hoc omnino certum sit, quando peccatum est reservatum ob annexam censuram? Ex part. 8. tr. 7. & Miscell. Resol. 65.*

§. 1. **S**uppono ea quæ alibi satis probavi peccata scienter nulla, non manere amplius reservata; sed posse postea mutato proposito, & vero dolore concepto illa confiteri Confessario. Difficultas est in casu, quo confessio sic inualida facta sit Confessario habenti tantum delegatam potestatem. Respondet Filiuc, *tract. 7. de Confess. cop. 10. num. 311.* peccata adhuc remanere reservata, vti sic habet; Nullo autem modo ita contingeret, quando confessio illa fieret delegato, qui non habet potestatem absolventi nisi sacramentaliter: hoc enim ipso quod confessio non fuit valida, sequitur manere peccatum reservatum sicut ante.

2. Respondeo tamen probabile esse, quod etiam in hoc casu sit liber à reservatione. Et ratio est, quia Penitens videtur satisfecisse fini reservationis, finis enim reservationis est, vt Penitens, qui peccatum reservatum commisit, aperiat illud superiori, ab eoque debitam recipiat satisfactionem. Tum quia cum hoc tam multi DD. Asserant, & superiores non contradicant, videntur in eo consentire, & supplere iurisdictionem; in opinione enim probabili præsumitur superior supplere iurisdictionem. Et hoc omnino certum est quando peccatum est tantum reservatum ob annexam censuram, quia talis Confessarius ab hac potest absolueret etiam extra collationem Sacramenti. Ita Coninch de *Sacram. disp. 8. dub. 12. num. 92.* & alij.

## RESOL. XXXI.

*An Sacerdos, qui habet casus reservatos, à quibus præsens Confessarius illum non potest absolvere, possit consistere*